DE

CHLOROSI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE IX. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXLIV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

LAMBERTUS ROMEN
RHENANO-EMBRICENSIS.

OPPONENTIBUS:

CAROLUS SCHACHT, med. et chir. Dd.

EDUARDUS STUTE, med. et chir. Dr.

CAROLUS HOESCH, med. et chir. Cand.

BEROLINI,
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

Des Menschen Leben ist in seinem Blute.

Moses.

FRATRIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

JOANNI ROMEN

ET

CAROLO ROMEN

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

I. SYNONYMA.

Χλώρισμα (Hippocrates), Illisis (Avicenna), Febris alba et virginum Obstructiones (Mercatus), Foedi colores (Baillou), Pallidi colores (Sydenham), Icterus amantium (Le Blanc), Morbus virgineus, Febris alba (Sennert), non, ait, quod febris semper conjuncta sit, sed quia sic affectae speciem febricantium prae se ferunt — Chlorosis (Bauhin et Varandé), Icteritia alba (Ettmueller), Febris amatoria (Langius), Cachexia chlorotica s. pallor virginum, Melancholia amatoria, Anaemia Chlorosis, Hydraemia virginum, Hyperhydraemia (Colombat), Chlorosis pallida; Weisses Fieber, weisse Gelbsucht, Bleichsucht (Germani), Ictère blanc (Sauvages), Opilations (Tissot), Pâles couleurs (Francogalli), Green sickness (Angli), Maagdziekte Bleekzucht (Batavi).

II. SYMPTOMATA.

A. Symptomata objectiva:

a) Cutis externae.

Cutis color pallidus, gilvus, prasinus, cerae similis s. ex flavo-viridescens, cretaceus, marmori s. mortuo similis, quae

mutatio praecipue est in facie; cutis exsanguis itaque frigida, ut in animalibus, qui sanguinem frigidum habent, languida, rugosa, sicca, fragilitatem quandam ostendit in unguibus, qui sunt tenues et colore gilvo; superficies corporis eget elasticitate viva, turgore vitali, evaporatione, e genis rubor omnino evanescit; quamquam cutis laxa, tamen saepe turgore quodam non caret; facies enim nonnunquam tumida, pastosa apparet (turgor ly[illegible]aticus Bruck); frequenter et praesertim matutino intumescentia sacciformis sordido lividoque colore in palpebris inferioribus et circa malleolos adest, oedema extremitatum inferiorum, quod vespere auctum, mane diminutum esse solet; oculorum adspectus languidus, cupidus seu desiderans; oculorum conjunctiva albissima, crines sunt sicci et defluunt; etiam exanthema in aegrotis chloroticis saepe existere dicunt (erythema nodosum Willan).

b) Membranarum mucosarum.

Idem est pallor, idem sanguinis calorisque defectus: pallida sunt labia, gingiva, interna genarum facies, lingua, quae saepe muco tenaci obtecta est, fauces, palpebrae, vagina; secretiones praebent anomalas, praecipue membrana mucosa genitalium et organorum respirationi inservientium.

c) Circulationis sanguinis et respirationis.

Respiratio difficilis, brevis, frequens, sed insufficiens, apnoea; thorax autem late extendi potest, sicut in statu normali; auscultatio et percussio pectoris nullum ostendunt pulmonum vitium, nisi forte cum Chlorosi morbus hujus organi complicatus est; aegroti scalam ascendentes vel currentes vel levia opera aggredientes, ut in animi affectibus laboriose trahunt spiritum; interdum adest tussis periodica, acris, fere

semper sicca (tussis chlorotica, nervosa, hysterica), quae fit habitualis et in phthisin transire potest.

In parvis laboribus aegroti, praesertim si scalam ascendunt aut gravi terrore aut iracundia affecti sunt, vehementibus, sed viribus carentibus cordis palpitationibus, quae quidem sponte oriri possunt, cruciantur; in corde et in majoribus arteriis stethoscopio audis strepitus sonantes et susurros (Bruit de diable-Bouillaud, Nonnengeräusch). Energiae et activitati cordis respondet arteriarum pulsus; si quiete fruitur corpus, pulsus parvus, debilis, mollis, inanis, facile comprimi potest, filiformis, plus minusve frequens; post motiones et corporis et animi pulsus frequentissimus est, in evoluto morbo usque ad ictus 130—140 evectus; saepe videtur durus et fortis; venae cutaneae sunt pallidae, roseae — ut cocco impletae videantur (Schoenlein) — plerumque fuscae et lividae perlucent.

DE SANGUINIS QUALITATE ET PHYSICA ET CHEMICA.

Maximi est momenti in observandis et explicandis Chloroseos symptomatibus mutationes cognoscere qualitativas, experimentis chemico-physicalibus exploratas.

Sanguis sanus hujus est compositionis:

	Simon.	Nasse.
1. C. S. (1)		
H.	6,209	116,509
G.	103,022	

(1) C. S. = corpuscula sanguinis — H. = haematinum — G. = globulinum — L. S. = liquor sanguinis —

	Simon.	Nasse.
2. L. S.		
A.	795,278	798,402
F.	2,104	2,233
A.	76,660	74,794
P.	2,346	1,970
M. E. et S.	12,012	6,672

Aquae quantitas secundum Lecanu in viris est (1000 part.) = 791,944, in feminis 821,764 ratione media.

Partes solidae sunt ratione media 206,647.

Chloroticorum sanguis est lucidus, aquosus et mucosus; placenta parva, mollis, saepe normali consistentia, natat in magna copia lucidi et paululum colorati seri; fibrina non est normali spissitudine et cohaerentia; acidum lactis Lehmann in sanguine chlorotico bis invenit.

Golding Bird (1) dicit, in sanguine chlorotico formari placentam perinde solidam ac in sanguine phlogistico, et Jennings (2) crustam phlogisticam vidit in sanguine sine ullo statu inflammatorio; explicat hoc phaenomenon, quod sanguis chloroticus normalem quidem fibrinae copiam, sed pauca cor-

---

A. = aqua — F. = fibrina — Al. = albuminium —
P. = pingue — M. E. et S. = materies extractiva et salia.

(1) Ancelle, Course of lectures etc. The Lancet. 1840. 1. 887.

(2) Eodem loco.

puscula habeat, unde status fere est idem atque in phlogoseos sanguine.

Andral (1) et Gavaret (2) contendunt, placentam esse spissam, magnam existere partium cohaerentiam, adesse crustam, ut in Rheumate et Pleuritide, et hanc spissitudinem eo majorem esse, quo gravior sit sanguinis alteratio et mutatio, quod jam Borsieri vidit; explicatio Andral eadem est, quam Jennings proposuit.

Simon (3) placentam semper mollissimam, fibrinam non tam spissam ac in phlogosi vidit, et quod attinet ad varias illas observationes dicit: has sententias discrepantes exaequari posse, si cogites, sanguinem ad gradum morbi status valde mutari; sanguis alia est qualitate et chemica et physica in morbo ineunte, alia in evoluto. Herberger (4) placentam mollem et nullam crustam conspexit phlogisticam.

Ceterum respiciendum est, crustae phlogisticae formationem e tam variis et fortuitis caussis pendere, ut in morbis, qui non sunt inflammatorii, minimae esse dignitatis; si in Chlorosi apparet, Jennings explicatio est idonea. —

De mutationibus sanguinis chlorotici quantitativis hae sunt analyses.

---

(1) G. Andral, essai d'hématologie pathologique. Art. II., du sang dans l'anémie. Paris 1843.

(2) Annal. de chimie et de phys. Vol. 75. p. 316.

(3) Simon, Handbuch der angewandten medin. Chemie. 2. Theil. S. 204. Berlin 1842.

(4) Herberger, Blut und Harn Chlorotischer in Buchner's Repertor. II. Reihe. Bd. 29. Heft. 2.

		Simon (1)	Herberger (2)
1.	G. S.		
	H.	1,431	1,590
	G.	30,860	36,470
2.	L. S.		
	A.	871,500	868,340
	F.	2,080	3,609
	Al.	79,820	78,200
	P.	2,530	2,310
	M. E. et S.	11,000	8,921
	Quod amittitur		0,500
	Part. solid.	128,500	131,66

Andral et Gavaret (3) multarum virginum Chlorosi laborantium sanguinem experimentis pervestigavere, e quibus elucet, mutationes varias esse ad morbi stadium; aliter sanguis se habet ineunte, aliter evoluto morbo.

Primo stadio: Chloroseos nullum symptoma, nisi imminutio corpusculorum sanguinis levis. Ex 8 experimentis ratio maxima, minima et media haec est:

	Aq.	Part. sol.	Fibrîn.	Corp. s.	Ser. reliq.
r. Max.	816,3	210,0	5,3	112,7	94,1
r. Min.	790,0	183,7	2,4	97,7	76,5
r. Med.	801,0	199,0	3,5	106,8	80,0
Sang. san. (Le Canu)	790,0	210,0	3,0	127,0	80,0

(1) l. c.

(2) l. c.

(3) Annales de chimie et de phys. T. 75. p. 311.

In chlorosi evoluta: Corpuscula sanguinis valde minuta, nec minus partium solidarum copia, fibrina fere normali numero.

	Aq.	Part. sol.	Fibr.	Corp. s.	Ser. reliq.
r. max.	868,7	181,3	3,6	95,7	100,9
r. min.	818,5	131,5	2,1	38,7	75,4
r. med.	853,2	146,8	2,9	56,7	88,0
Sang. maxime exigua cop. corpusc.	868,7	131,3	3,5	38,7	89,1

Ex experimentis a Le Canu (1), Jennings (2) et Foedisch (3) de sanguine chlorotico institutis haec resultant:

	Le Canu. 1	Le Canu. 2	Jennings. 1	Jennings. 2
A.	862,40	861,97	871,0	852,0
F.			5,0	3,0
C. S.	55,15	51,29	48,7	52,0
Ser. rel.	82,45	86,74	60,0	78,0
Al.			1,7	2,0
P.			3,0	2,0
Mat. ext.			7,6	7,0
Sal. alc.			1,8	2,0

---

(1) Etudes chimiq. p. 113. Paris 1837.

(2) Diss. de morbosa sang. temperat. inprimis in Chloros. Jen. 1832.

(3) The Lancet 1839—1840. p. 887.

Foedisch.

	1	2
A.	806,28	810,75
F.	6,40	6,30 *
C. S.	91,41	85,90
Al.	93,61	92,91
Ferri	3,30	5,01

Sanguis chloroticus a Golding Bird, Lehmann, Hales, Delafond et H. Nasse(1) experimentis, quae cum antea dictis consentiunt, exploratus est.

Videmus ergo in Chlorosi

1) sanguinis corpuscula valde diminuta

sang. chlor. ad sang = 1 : 3

2) aquam auctam

3) album. et fibrin. (relat. ad part. solid.) aucta

4) salia et pingue aucta.

Andral (l. c.) in duobus casibus corpusculorum sanguinis formam mutatam vidisse se affirmat.

Not. Inter oves morbus invenitur, qui nominatur ab Andral, Gavaret et Delafond Cachexie aqueuse (Hydraemie) et Chlorosi quod attinet ad alterationem sanguinis similis est. Nasse (l. c.), trium hoc morbo

---

* Quae Foedisch invenit circa fibrinae quantitatem, quam in sano sanguine 25,11 (!) numerat, falsa sunt; eadem de ferri quantitate dicere licet.

(1) H. Nasse: Das Blut in mehrfacher Hinsicht. Bonn 1836. u. Handwörterbuch d. Physiol. v. Wagner. Art. Blut.

laborantium bestiarum sanguinem perscrutatus, reperit haec:

	Sang. san.	Sang. cach. aq.
Aq.	827,765	933,43
C. S.	92,425	21,62
Al.	68,769	33,00
F.	2,970	4,16
P.	1,161	0,26
Sal. sol.	6,910	7,53

De similitudine sang. chlorot. cum sang. typhoso vide: Schoenlein's klinische Vortraege, herausgegeben von Dr. Gueterbock. Lief. I. p. 20. 21.

d) Systematis nervorum.

In nervorum functionibus magnae sunt perturbationes, e minuta innervatione ortae, modo in systemate cerebrali, modo gangliorum, modo spinali. Ineunte morbo aegroti sunt morosi, difficiles, sensibiles, et si morbus progreditur, ad tristitiam et melancholiam proclives (Melancholia chlorotica); fere semper hysteria laborant, convulsionibus hystericis, tremore artuum, somnambulismo, ecstasi, nonnunquam ingenti coëundi cupidine; appetitus modo harum, modo illarum substantiarum, saepe cupido rerum insolitarum et nutritione prorsus alienarum (pica, malacia), quales sunt substantiae terreae et acidae, mortarium, calcaria, creta, carbo, lutum, arena, sal, nitrum, acetum vini, fructus immaturi, axungia, humus, argilla, caro cruda, caseus putrefactus, pisces viventes, vermes, radices acres aliaque ejusmodi (allotriophagia vera!).

e) **Musculorum.**

Musculi sunt laxi, debiles, flaccidi, molles, facile rumpuntur, pendent musculi extremitatum, praecipue surae, pendent mammae aridae et macilentae; macies adest.

f) **Digestionis et assimilationis.**

Appetitu ciborum laborant, lingua muco albido obtecta, gustu amaro vel acido, oppressione ventriculi, ructibus, pyrosi, nausea, vomitu, flatibus post cibos vix degustatos, borborygmis (coelalgia chlorotica); in ventriculo oriuntur brevi post coenam dolores cardialgici; saepe alvi obstructio pertinax, saepenumero diarrhoea mucosa, quacum cibi nondum concocti excernuntur; haud raro adsunt vermes, intumescentia regionum hepatis et lienis; faeces incoloratae; aegroti nonnunquam queruntur de gravitate et ardore in regione epigastrica, vel de doloribus nervosis per totum oesophagum ad humeros progredientibus (Colombat, Mende).

g) **Uropoësis.**

Urina sana hujus est compositionis (part. 1000):

	Simon.	Becquerel(1).
Aq.	963,200	971,935
Part. sol.	34,310	28,066
Ur.	12,460	12,102
Acid. ur.	0,520	0,398
Sal. fix.	11,19	6,919
Mat. org.	10,14	8,647

Urina chlorotica aut viridis est, aut coloris expers, lucida, aquosa, saepe fusca, sed modo, si aqua diminuta et

---

(1) Becquerel, Séméiotique des urines. Paris 1841.

urina concentrata est; reactio acida seu alcalica; raro adest sedimentum acidi urici, quod si invenies, alba, sordida est; saepe albuminium inest et tum turbida, praecipue si cum fluore albo conjuncta est Chlorosis; tum videbis sub microscopio fragmenta epithelii et globulos mucosos.

Vide urinae chloroticae compositionem secundum Becquerel et Herberger (l. c.), variis diebus investigatae (1. 2. 3.).

Becquerel.

	1	2	3
Pond. spec.	1011,3	1012,6	1016,8
Cop. ur. 24 hor. unc.	44,3	50,8	27,5
Aq. (1000 part.)	981,28	979,21	972,28
Part. sol.	18,72	20,79	27,72
Ur.	6,03	7,38	6,83
Acid. ur.	0,08	0,26	0,23
Mat. fix.	4,80	8,05	8,45
Mat. org.	7,79	5,14	11,16

Herberger.

	1	2	3
P. s.	1,010	1,009	1,012
C. u. unc.	32	42	35
Aq.	975,43	978,21	971,98 *
P. s.	24,57	21,79	28,02
Ur.	7,04	7,00	7,12

* Becquerel vidit in puella 18 annos nata copiam aquae, quae vulgo erat gr. 1106, 565, paroxysmo hysterico apparente usque ad gr. 2663,050 ascendere.

A. u.	0,13	0,21	0,19
M. f.	6,80	5,50	6,62
M. o.	10,48	9,00	13,99
Q. am.	0,12	0,08	0,10

Eadem proportione, qua corpuscula sanguinis minuuntur, decrescit ureae copia.

Imminuta videmus in urina chlorotica

a) materias solidas

b) uream

c) acidum uricum

Aquae copia variabilis est.

Si cum Chlorosi morbus alius sese conjungit, urina, ut erat, aut manet, aut qualitates chemico-physicales ad naturam morbi accedentis mutat; si Chlorosis sanata est, urina ad statum redit normalem.

h) Functionis genitalium.

Ratio functionum genitalium secundum Canstatt haec permittit discrimina:

a) Chlorosis puellarum tenerrimae aetatis, quarum genitalia non sunt evoluta. Nulla menstruatio.

b) Menstruatio praecox pro aetate et evolutione; sequitur Chlorosis.

c) Menorrhagia immodica, qua fit Anaemia chlorotica.

d) Connubium praematurum.

e) Menstruationis suppressio.

f) Menses cum dolore conjuncti.

g) Leucorrhõe pro menstruatione.

Si ante pubertatis annos Chlorosis, genitalibus nondum evolutis, exorta est, neque menstrua ipsa, neque molimina menstrualia apparent; saepe menstruatio, quum jam adesset, paullatim minuitur, donec omnino evanescit, aut praecox pro aetate apparet; si menses multis cum doloribus redeunt, nullum praebent auxilium, vel sunt immodici; sanguis menstrualis pallidus, aquae carneae similis et mucosus, in linteis in duas partes inter se diversas dividitur ac maculas ostendit, quae siccatae decolorantur (Colombat); nonnunquam menses sunt regulares (Frank (1), Blaud (2), Loew (3), Richter (4), Brierre de Boismont (5)); raro sanguis menstrualis insolitis viis, ut naribus, pulmonibus vel mammis et al. (menstruatio vicaria) apparet; fluor albus adest aut continuus, aut periodicus. Si menses aut molimina menstrualia veniunt, omnia morbi symptomata augentur. Libido sexualis aut minuta aut prorsus deest; saepe valde aucta est, praecipue venere non satiata; mammae non evolvuntur; non facile concipiunt virgines; si autem coitus exercetur in prosperis connubiis et amore, fit conceptio. (De cetero vide Aetiologiam).

---

(1) P. Frank d. c. h. m. ep. Viennae 1821. L. VI. part. III. pag. 21.

(2) Blaud, Mémoire sur l. mal. chlor. Révue med. 1832.

(3) Loew, Ephemerid. naturae curios. Dec. II. an. IX. p. 190.

(4) Richter, spec. Therapie. B. III. S. 757.

(5) B. d. Boismont, die Menstruation etc. übers. v. Dr. Krafft. Berlin 1842.

B. Symptomata subjectiva.

Aegroti laborant vehementi capitis dolore in sincipite et potissimum in occipite dominante, gustu pravo, aciditate, aurium susurro, photopsiis aut scotomatibus, vertigine, dyspnoea, cordis palpitationibus, fugacibus punctionibus in hepate et liene, extremitatum defatigatione et pondere, virium defectione atque debilitate in omnibus totius corporis partibus, animi deliquio in minima quaque contentione; pigri sunt et semper quaerunt quietem, amant somnum, qui quidem somniis terrificis inquietus eos non recreat, parvo labore perfecto totus symptomatum ordo repetitur; nihilominus, quod valde mirandum, puellae chlorosi laborantes per longum tempus saltare valent, nulla defatigatione, nullis cordis agitationibus apparentibus; parvulis rebus offenduntur, perpetuo frigent, semper calorem petunt; ad melancholiam animique tristitiam sunt propensi, cogitationes moestissimas sequuntur, solitudinem quaerunt et desperantes de sua salute, perpetuo mortis desiderio tenentur; gemitus ducunt, lacrimant sine caussa; at hos tristes animi affectus insequitur immodica hilaritas, ita ut proverbium nostrum: Lachen und Weinen in einem Sack haben, in chloroticos cadat.

Quae diximus symptomata sensim sensimque oriuntur et, nisi ars aut res prosperae aegroto succurrunt, omnia ad gradum evehuntur majorem.

III. MORBI MODIFICATIONES.

Distinguuntur duae Chloroseos species: Chlorosis torpida

et Chlorosis erethistica, prout in individuo erethico aut phlegmatico nascitur.

a) Chlorosis torpida s. atonica primaria Behrends.

Omnium et animi et corporis functionum torpor, pallor ac tumescentia cutis egregia, magna defatigatio, exigua animi sensibilitas, debilis reactio, perpetuus pallor; semper frigus adest, evaporatio et menstruatio plerumque desunt; leucophlegmatia et blennorrhoea oriuntur sine symptomatibus hystericis, dolores in liene et hepate. Chlorosis pituitosa.

Hanc speciem invenies in personis, quae antea scrophulosi torpida laborabant aut certis aëris conditionibus procreatam; ad reditum morbus valde inclinans exitum in hydropem amat.

b) Chlorosis erethistica s. secundaria Behrends.

Manifestatur haec species aucta sensibilitate, sanguinis congestionibus, fugaci cum pallore et frigore celeriter variante, faciei rubore et ardore, capitis dolore, vertigine, anxietate, vehementibus cordis palpitationibus, haemorrhagiis, pulsu orgastico, frequentibus febriculis, mensibus dolorosis saepeque profusis, spasmis, hysterismo, doloribus nervorum capitis, praesertim in cursu nervi trigemini, haec symptomata augentur motione, cibis irritantibus et libidine. Chlorosis arterioso-sanguinea (Graf)(1). Invenitur haec species, quae ad exitum in phthisin proclivis est, in nobilium puellis adolescentibus et, ut videtur, sanis et validis.

Chlorosis fortiorum florida (Wendt) (2), febris

(1) Graf, Salzb. med. Zeitg. 1836. 2. Bd.

(2) J. Wendt über Menostasie und Chlorosis, Rust's Magazin B. 45. Hf. 3.

alba densa oritur e retentione excretorum. Chlorosis psorica (Autenrieth (1)), quae in regionibus, in quibus scabies endemia est, saepe inveniri dicitur, e scabie et tinea suppressa prodit.

Alia nomina: Chlorosis verminosa, Ch. ab hydrothorace, Chlor. Carthagenica, Bengalensis, rhachialgica, atrophica et scorbutica (Harless), Chlorosis cardiaca (idem), Chlor. gravidarum, Chlor. a menorrhagia ex menostasi et al. sunt inutilia, quod variis morbis cum Chlorosi solus pallor communis est.

IV. DIAGNOSIS.

Confunduntur Chloroseos symptomata cum morbis aliis, ut color cachecticus:

a) cum pallore in febribus intermittentibus adsunt hujus morbi symptomata.

b) cum ictero: color flavus cutis, oculorum conjunctivae, faecum et urinae; desunt symptomata nervosa, palpitationes et arteriarum strepitus.

c) cum pallore in degenerationibus chronicis et carcinomatosis et tuberculosis organorum: exstat vitium locale.

d) cum pallore faciei in scorbuto: color ex livido-coeruleus, gingiva laxa, coerulea, in extremitatibus ulcera scorbutica.

---

(1) Autenrieth, Versuche für die prakt. Heilkunde B. 1. H. 1. p. 275.

Oedema

cum anasarca: intumescentia in chlorosi non diuturna est, vespere apparet et noctis spatio evanescit.

Palpitationes cordis

cum morbis cordis organicis: vitium cordis saepe a prima aetate aderat sine intermissione symptomatum, sine strepitu illo in arteriis: augentur symptomata remediis irritantibus vel martialibus, quae in Chlorosi mitigant palpitationes; percussione anomalem cordis magnitudinem invenimus, labia et genae sunt livida.

Atrophia genitalis foeminea est morbus idiopathicus, in Chlorosi symptoma (1). Chlorosis confunditur cum Anaemia: si anaemia efficitur inopia sanguinis, quae provocata est haemorrhagiis aut spontaneis, aut consecutivis, his ad diagnosin firmandam utaris; si autem in caussa est inopia partium sanguinis (corpusc. sanguinis al.), unus morbus est ac Chlorosis. (Anaemia Chlorosis).

V. AETIOLOGIA.

Chlorosis praecipue obvia in regionibus ad septentrionem spectantibus: endemia est in Batavorum finibus, Riga (2), Hohenzollern-Sigmaringen (3), Laferté (4); quae sit endemiae caussa, ignotum est. Amare videtur tempora humida et frigida, autumnum et ver, nec minus regiones humiles, saepius occur-

---

(1) Schoenlein's spec. Patholog. Bd. I. 101.

(2) Blosfeld in Hufel. J. 1834. Juni.

(3) Heyfelder, Schmidt's Jahrb. B. VIII. S. 102.

(4) Vallé de la chloros Paris 1813.

rit in urbibus quam ruri. Morbus praesertim cernitur in puellis et quidem pubertatis tempore; existere eum autem posse ante pubertatem et multis annis post ostendunt exempla, quae Slevogt (1), Mysz (2) et Barez (3) narrant, quorum primus Chlorosin vidit in femina, quae peperit tres liberos, alter in vidua, tertius in puella 12 annos nata.

Corripiuntur morbo saepissime puellae constitutione erethistica, animo vivo et sensibili, aut habitu torpido, dycrasia scrophulosa laborantes (4); saepe sunt debiles earumque vires et humores meliores circa pubertatis annos conteruntur celeriori corporis incremento, naturae contentionibus et mammas et organa genitalia procreandi.

Chlorosis observata esse dicitur in infantibus (Leucosis M. Hall, Becquerel (5)), tempore pubertatis in juvenibus (Cachexia pubertatis Brandis); Cabanis (6) plures pueros chlorosi laborantes vidit; — nihilominus raro, quia genitalium procreatio non tanti in iis est momenti, ut in feminis, quorum totus organismus generationi servit; si juvenes laborant hoc morbo, genitalia evolutione carent, neque pubes neque barba

---

(1) Slevogt. Diss. exh. chloros. labor. foem. Jen. 1704.

(2) Mysz D. sist. vid. 30 annos chlor. lab. Jan. 1752.

(3) Praetorius de chlorosi. Berol.

(4) Die Skropheln gehen in der Jugend bei Männern in Schwindsucht, bei Weibern in Bleichsucht über. Lehrbuch der allg. Pathologie v. C. H. Schultz. Berl. 1844. S. 128.

(5) Becquerel, Clin. des hôpit. des enfants. Jul. 1843.

(6) Gardien, Dict. d. scienc. med. Art. Chlorose.

apparet, testes sunt exigui, nulla penis erectio, nullae pollutiones, vox non mutatur, sed manet infantilis (1).

Aegritudine, moerore, onania, nimio fluxu haemorrhoidali in viris oriri posse Chlorosis traditur (Sauvage, Cabanis, Chambon, Desormeaux, Frank, Roche, Tanquerel des Planches, Copland (2), Haase, Brandis, Schmalz, Loew).

Caussae occasionales:

a) quod attinet aërem: Désormeaux constitutionem epidemiam gastrico-inflammatoriam chlorosi amicam esse putat; aër liquoribus humoribusque impletus, tempestas humida, multi labores in aqua, domicilium humidum, obscurum, a solis radiis aversum aut nimio hominum numero refertum, ut in fabricis.

b) quod spectat ad alimenta: caro nimis salsa, putrida, victus pravus nimium irritans, acescens, parum succi nutricii continens, abusus spirituosorum et tuberum solani tuberosi, potus relaxantes, theae et coffeae.

c) omnia corpus debilitantia:

1) coitus nimis aut mature aut crebro exercitus, amor

---

(1) Schoenlein, Vorlesungen II. S. 55.

(2) Wenn die Chlorose das männliche Geschlecht ergreift, ait Copland, so steht sie gewöhnlich mit verspaeteter Entwickelung der Sexualorgane in Verbindung, und ein oder mehre weibliche Mitglieder derselben Familie leiden dann manchmal zur gleichen Zeit. Idem Marsh. Hall. De chlorosi in viro vide Tanquerel des Planches Presse méd. 1837. No. L. IV. p. 425 et Lancette française 18 Juillet. 1837.

deceptus, venus praemature agitata neque satiata, nuptiae praematurae, onania, somnus assiduus, nostalgia, terror, moeror, tristitia, desiderium rerum, quas assequi non licet, venus subito denegata, ut in viduis juvenilibus, vigiliae, imaginationes, lectiones fabularum Milesiarum.

2) Abusus vinculorum adstrictoriorum, quibus thorax externe firmatur, sed sanguificatio impeditur et pulmones decrescunt, consuetudo feminarum acu utentium prono corpore sedendi, haemorrhagiae profusae, lactatio diuturnior, post morbos inflammatorios, si initio multae et fortes venaesectiones institutae sunt, vita sedentaria, vitae ratio mutata, si qua puella rustica motione adsuefacta in urbem se contulit.

VI. DECURSUS ET EXITUS.

Paullatim morbus nascitur, chronice decurrit, saepe brevi sanatur.

Prospera constitutionis mutatione, aetate, arte medici, aut si caussae noxiae removeri possunt, morbus transit:

a) in sanitatem; normalis sanguinis quantitas et qualitas revertitur, cutis rubescit, evanescunt symptomata, menses apparent aut redeunt etc.

b) Exitus in morbos secundarios, quales sunt: alienatio systematis nervosi (neuralgia, hysteria, melancholia, amentia, nymphomania), cordis morbi (dilatatio ventriculi dextri), pulmonum (phthisis, hydrothorax), lienis et hepatis (hydrops), systematis genitalium (leucorrhoë, atrophia uteri, sterilitas).

c) in mortem, quae affertur vel morbis consecutivis, vel virium confectione febri hectica, vel si aegrotum noxis liberare non potes, vel si a medico aeger male tractatur.

VII. PROGNOSIS.

Fausta, si morbus recens neque complicatus neque exiit in alium; infausta, si inveteratus et complicatus; varia ad morbi speciem (Chlor. torpida diu existit et pertinax est; Chlor. erethistica periculosa propter exitum in phthisin), ad noxae qualitatem, constitutionem et fortunam aegroti, symptomatum gravitatem, sexualium organorum perturbationes; tuberculosis lethalis est.

VIII. SECTIO.

Sanguis pallide rubens, aquosus, parum cruoris continens; musculi laxi, cor atrophicum, dilatatum, parietibus tenuibus; vitia valvularum aut vasorum majorum; aqua serosa in tela cellulosa, in cavo pectoris et abdominis; alienationes hepatis et lienis, uteri, genitalium, glandularum lymphaticarum; at non omnia quae sectione inveniuntur vitia Chlorosi, sed potius complicatione cum ea conjuncta sunt producta.

IX. VARIAE SENTENTIAE DE CHLOROSEOS NOSOGENIA.

Descripta jam est Chlorosis ab antiquis medicis Hippocrate (1), Galeno (2), Aëtio (3), Paulo Aegineta (4), Avicenna (5).

---

(1) Hippocratis Liber de morbis virginum. — V. Epidem. I. IV. 21, 19.

(2) Galen. De causs. sympt. l. I. cap. 7.

(3) Aët. Tetrab. III. serm. I. cap. 23 et tetrab. IV. serm. IV. c. 10.

(4) Paul. Aeg. De re medica lib. I.

(5) Avicen. Canon medicinae. lib. I.

Galenus, Gardien (1), Hamilton (2) et Lisfranc (3) proximam Chloroseos causam in anomalia organorum digestionis sitam esse arbitrantur.

Frid. Hoffmann (4) caussam quaerit: „in nimia sanguinis impuri et humorum viscidorum ac minus spirituosorum abundantia ob naturalem tonum, vigorem et robur partium solidarum maximeque viscerum, chylificationi, sanguificationi et depurationi inservientium, valde labefactum, in corpore collecta.“

Brandis (5), Jahn (6) et F. B. Osiander (7) caussam proximam ponunt in systematis lymphatici debilitate, quae chylificationem indeque sanguificationem perturbat, quo fit, ut nimis exigua ferri oxydati copia in corpus recipiatur.

Consbruch (8) et Joerg (9) primariam caussam a

---

(1) Gardien. Traité d'accouchemens, de malad. d. femmes. 3ème ed. Par. 1823. et Article: Chlorose Dct. d. sc. méd.

(2) Hamilton, Outlines of Midwifery Edinb. 1826.

(3) Lisfrank, Clinique chirurg. d. l'hôpit. d. l. Pitié. tom. II. Paris 1842.

(4) Hoffmann, Med. ration. system. tom. IV. part. IV. cap. XIII.

(5) Brandis, Erfahrungen über d. Wirk. d. Eis. Hann. 1803.

(6) Jahn, Klinik d. chron. Kten. Arnst. u. Erfurt 1815—21.

(7) Osiander, Entwicklungskrankh. Tueb. 1820.

(8) Consbruch, Pathologie 6. Aufl. 1826.

(9) Joerg, Handb. d. Kten. d. Weib. Leipz. 1831.

nutritionis vitio repetunt; quod oxygenatio sanguinis imminuta et uteri functiones perturbatae sequuntur.

Ed. de Siebold (1) Chlorosin existimat morbum reproductionis, ortum e debilitate totius organismi et inde suppressa in utero irritabilitate.

A. G. Richter (2) et Mende (3) Chlorosin aiunt esse morbum, qui oriri soleat e nimis debili ac incompleta organisatione, quae, ut magnas virium contentiones pubertatis tempore apparentes sustineat, haud satis firma sit, organismo materia organica, quae tum necesse sit, ad se ipsum conservandum et excolendum egente.

Meissner (4), Roche (5), Sauvages (6) et Capuron (7) certam Chloroseos nosogeniam non nominant, sed loco explicationis nonnulla symptomata addunt.

Sydenham (8) hysteriae speciem putat, partim ex ἀταξία spirituum, partim e succis putrescentibus in sanguine congestis ortam.

---

(1) Siebold, Frauenzimmerkrankheiten. Frankf. 1821. B. I. §. 426.

(2) Richter Ej. spec. Path. B. 3. S. 757.

(3) Mende, Krankh. d. Weib. Leip. 1831.

(4) Meissner, Forschungen des 19. Jahrh. B. 2. S. 100.

(5) Univers.-Lexicon. d. prakt. Med. B. 3.

(6) Sauvages, Nosol. meth. t. IX.

(7) Capuron, Trait. d. mal. d. femm.

(8) Sydenham Opp.: de hysteria.

Tommasini (1) Chlorosin esse vasorum inflammationem chronicam affirmat.

van Swieten (2) a nimia sanguinis glutinositate, quae circulationem in minoribus vasis impediat, derivandum censet morbum.

M' Diwitt (3) Chlorosin febrem esse contendit.

Heidenhain (4), Held et Fanesen ex alienatis functionibus viscerum abdominis, praecipue lienis (?) morbum explicant.

Neumann (5) naturam Chloroseos ponit in aucta cordis activitate et in turbata assimilatione ac nutritione.

C. J. Kilian morbum habet cutaneum, cujus caussa proxima quaerenda sit in affectione spastica, praesertim vasorum cutis capillarium arteriosorum.

Sam. Fox (6) in laesis hepatis functionibus, ex inflammatione ejus organi chronica ortis, Chloroseos naturam ponit.

---

(1) Tommasini Sull' inflammazione t. II. p. 250—278.

(2) v. Swieten Comm. in Boerh. T. I. §. 73. Lugd. 1762.

(3) Froriep's Notizen. B. 7. N. 16.

(4) Dissertat. inauguralis. Halae 1830.

(5) Dissertat. de chlor. natura et medela.

(6) Fox, Beobacht. über die Bleichsucht. A. d. Engl. v. Groos. Leipz.

Vide de hoc lib. Schmidt's Jahrbücher 1843. S. 348, recens. Eisenmann.

Mercatus (1), Haase (2), Pinel (3) et Hecker (4) Chlorosin peculiarem morbum non habent, sed symptoma amenorrhoeae et dysmenorrheae.

Joh. Langius (5), qui primus accuratius descripsit hunc morbum, et Laz. Riverius (6) caussam petunt ab mala uteri constitutione, ubi, mensibus apparentibus, venarum fieri obstructionem arbitrantur.

Roder. a Fonseca (7) deducit morbum ex abundantia humorum crassorum et e sanguine ex uteri venis redundanti, viscera abdominis, imprimis lienem afficiente.

Bernard. Valentinus (8), Mangetus (9), Waldschmidt, Lentilius (10) et Ettmueller Chlorosin explicant: „ex liquore seminali suppresso, alterato et tandem plus

---

(1) Mercat. Gynaeceum s. d. mul. 1554.

(2) Haase, Erkennt. d. chron. Krankh. Leipz. 1820. B. I. S. 556.

(3) Pinel Nosograph. philosoph. Par. 1798.

(4) Hecker, die Kunst die Krankh. zu heilen. Wien 1813. B. I. S. 424.

(5) Langii Epist. med. Lib. I. epist. 21.

(6) River. Opp. med. univ. T. II. L. XV. Cap. I.

(7) Fonseca Consultat. med. Cons. VI.

(8) Theoph. Bonneti Med. sept. collat. p. II. Obs. I.

(9) Manget. Biblioth. med. pract. Tom. I. pag. 537.

(10) Lentil. Ephem. nat. curios. Dec. II. an. II. p. 303.

minusve corrupto; mediante quo, tanquam fermento communicato, alterantur et secernuntur ab hoc succo inguinali, unde talis color, febris lenta et similia. Restituuntur autem tales per coitum; nam uti semen sub pubertatis annis vigorem corporis communicat, ita praeter naturam corruptam corporis habitum pessundat, donec per coitum excreto isto liquore corrupto et spiritu genitali maris novo fermento partibus genitalibus inspirato, de novo effervescat, et sic reddatur corporis color floridus."

Cullen (1) a vitio ovariorum, quo vasa uteri sympathico connexu ita afficiantur, ut menses provenire nequeant, Chlorosin deducit.

Kaempf (2) ex anomaliis menstruationis oriri Chlorosin dicit, quae atoniam totius corporis et praecipue uteri sequuntur.

Désormeaux, Sennert, Blache, Cabanis, Tissot, Primerose (3) al. primariam caussam ponunt in asthenia organorum sexualium et eorum aut turbata aut sublata vi in nutritionem et sanguificationem.

Boerhaave (4) Chlorosin gigni vult e nimis abundante sero in sanguine.

---

(1) Cullen Anfangsgr. d. prakt. Med. Leipz. 1800.

(2) Kaempf's Handbuch d. prakt. Med. Chemn. 1795. p. 402.

(3) Dict. de méd. 2.me Ed. A. Chlorose.

(4) Boerhave, de morbis nervor. T. I. p. 158.

Harless Chlorosin habet cachexiam veram et systematis arteriarum et venarum, praesertim vasorum uteri et ovariorum, exortam ex diminutione cruoris et fibrinae, dum simul serum auctum est.

Carus (1) ponit naturam morbi nostri in turbationibus nisus formativi, potissimum ex haematosi vitiata prodeuntibus, quae cum tempore pubertatis ineuntis aut maturius evolutae concurrant et cum corporis muliebris propria indole Chlorosin provocent.

Berends, Sundelin (2) et Hufeland (3) caussam Chloroseos quaerunt in imminutione materiarum solidarum et plasticarum, cruoris et fibrinae, dum partes aquosae, id est serum, abundanter sese ostendunt.

Pujol (4) caussam Chloroseos existimat ferri diminutionem aut defectum in sanguine.

Most (5) habet processum alienatum chylificationis et sanguificationis, pubertatis tempore provocatum et diathesi quaque (habitus chloroticus) adjutum.

Puchelt distinguit Chlorosin anaemicam, e sanguinis et praecipue cruoris inopia coortam, et Chlor. venosam, quae haesitante sanguinis circulatione procreatur.

---

(1) Carus Gynaecologia I. §. 216.

(2) Berendt, Vorles. über Arzneiwissenschaft. herausgeg. v. Sundelin.

(3) Hufeland Encheiridion med. Berl. 1842. p. 359.

(4) Pujol Mémoire sur la chlorose. 1837.

(5) Most encyclopädisches Wörterbuch. Leipzig 1836. Art. Icterus (!)

Toeltényi (1) in cachexias venosas refert, quae sanguinis alterata vita sunt insignes, ut: Peliosis Werlhofii, senilis, Haemorrhophilia, Cyanosis al.

Hoffmann (2) Chlorosin esse dicit metamorphosin, qua virgo, ut insectum, in nympham vertatur, ut postea sanata sylpha prodeat.

Schoenlein (3) Chlorosin morbus adnumerat cyanoticis.

C. H. Schultz (4) Chlorosin refert inter morbos in

---

(1) Toeltényi, Vers. e. Kritik der wissensch. Grundlage der Medizin. 4 Bd. S. 198.

(2) Hoffmann Ideenpathologie: So besteht also die Bleichsucht allerdings in einer abnormen Geschlechtsausbildung; allein nicht in einer blossen Störung derselben, nicht in einem blossen Missverhältnisse zwischen der Individual- und Sexualsphäre, nicht in einer blossen Schwäche des Reproductionsvermögens, sondern es tritt ein anderes Gesetz an die Stelle des dem Menschen eigenthümlichen, ein Gesetz der Pubertätsentwicklung, das einer anderen tiefern Classe von Wesen normal gemäss zukömmt.

(3) Schoenlein's Pathologie und Therapie Bd. II. S. 55.

(4) Lehrbuch der allgemeinen Krankheitslehre B. 1. Brl. 1844. Ait celeberrimus ille auctor ingeniosissime:

Im chlorotischen Blute tritt die Blasenentwickelung und die Irritabilität des Blutes, sowie die Farbstoffentwicklung zurück und das Blut bleibt auf der Stufe der Lymph- und Eiweissbildung stehen. Dabei wird die Erregung und Wärmebildung vermindert; es bildet sich ein Zustand von Erschlaffung aus. Die Blasenbildung bleibt unreif, es kann daher nicht zu der normalen Mauser

quibus formatio sanguinis vesicularum alienata et immatura est; sanguis lymphae habet qualitatem, ejusque vesiculae energia et contractilitate normali egent.

Copland (1), Dupuy (2), Naumann, Trousseau,

---

im weiblichen Geschlecht, der Menstruation, kommen, daher die so häufigen Unregelmässigkeiten im Ausbruche derselben. Die Blasen lösen sich unreif schon wieder auf, weil sie den Farbstoff nicht festhalten, der sich im Plasma auflöst.

Die Menstruation (Mauser) ist fehlerhaft, weil ihr polarischer Gegensatz in der Verjüngung die Blutbildung fehlerhaft ist. Die scrophulöse Anlage des Kindesalters legt auch hier gewöhnlich den Grund zu diesen Zuständen. — — — Mit der unvollkommnen Blasenentwickelung im chlorotischen Blute tritt die Respiration gleichförmig zurück, das Blut enthält wenig Farbestoff, wird dem Fischblut ähnlich, bildet in Folge dessen wenig Plasma, daher schlechte Ernährung und Abmagerung entstehen.

Porro. Die Blasen im chlorotischen Blute verarbeiten ihre Kerne unvollständig, halten den Farbstoff nicht fest und lösen sich bei ihrer schwachen Lebenskraft bald wieder auf. Sie werden nicht robust und alt genug. Im gesunden Zustande muss sich das Blutblasenleben mehr konsolidiren, die Blasen müssen älter werden, lange ausdauern, wenn sie kräftig wirken sollen. Im chlorot. Blute herrscht aber Neigung zur Stoffzersetzung, zum Todesprocesse, in der Jugend der Blasen, daher die mancherlei abnormen Secretionen; die Blennorrhoen des Uterus, der Scheide, der Lunge selbst, ähnlich den bleichsüchtigen Pflanzen, die immerfort ihre Blätter verlieren, wie sie sich bilden. S. 128 u. 129.

(1) Encyclop. Wörterbuch B. 2. S. 140.

(2) Acta acad. litt. Paris. 31. Octbr. 1837.

Colombat, Tolly (1) et Grimm (2) Chloroseos primam originem quaerunt in totius nervorum systematis asthenia, praecipue nervi sympathici, organis digestionis, nutritionis, circulationis et genitalium servientis.

Videmus ex iis, quae ante diximus, temporibus recentioribus alteram scriptorum partem modo in depravato sanguine, alteram modo in systematis nervorum asthenia investigasse Chloroseos ortum; utraque opinio vera, sed ita, ut morbus originem ducere possit et a sanguine et a nervis, prout vis nocens primitive vel maxime aut hanc aut illam organismi partem offenderit. Normalis nervorum vita nititur qualitate sanguinis normali, haecque illa.

Quae quidem sanguinis ipsius qualitati nocere possunt res, de his jam dictum est. Vide V. Aetiol. sub. litt. a. b, et c 2. Elucet, has vires nocentes in omni vitae stadio (praecipue autem pubertate) et in quoque sexu provocare posse Chlorosin.

Quod vero chlorosis praecipue pubertatis tempore in puellis sese excolit, id est inde repetendum, quod

a) hoc tempore sanguinis qualitas et quantitas dissidet cum copia sanguinis necessaria ad formanda genitalia, eorumque secretionem totamque vitam sexualem, quibus rebus magnus materiae plasticae ex sanguine opus est commeatus.

Si hoc discrimen inter paratum sanguinem ejusque materiam organisationi genitalium necessariam leve est, oriuntur symptomata, ut vulgo sunt in puella primis mensibus affecta:

---

(1) Revue med. francaise et étrangère. Decbr. 1839.

(2) Grimm, die Bleichsucht. Leipz. 40. 6. 36.

pallor, languor, ingenium triste et hilare, irritabilitas psychica etc.; sin illud discrimen est grave, symptomata crescunt et, quum novellus, tener et subito alteratus organismus non habet vires, ut in locum materiarum plasticarum e sanguine sumtarum et recenti genitalium vitae tributarum novas sufficiat, sanguis, partium solidarum expers, alienatur et Chlorosis procreatur.

b) Quod pubertate aut antea caussa aderat, qua vita genitalium adhuc immatura naturae non convenienter excitabatur nimisque irritabatur: quo fit, ut nisui formativo perversa permittatur via.

Ut noxa primum sanguinem aut nervos afficiente Chlorosis provocetur, semper summum malum est sequens sanguinis alteratio, chemico experimento investigata, ex qua omnia morbi symptomata deduci possunt.

Caloris generatio in corpore humano praecipue nititur in vi chemica; nam in permutandis materiis carbogenium corporis partium et nutrimentorum conjungitur cum aëris oxygenio, pulmonum respiratione in corpus illato, unde evadit aeque ac in combustione calor; haec in omnibus corporis partibus fiunt, ubi materiae mutatio. Corpuscula sanguinis, quae in quaque circulatione per vasa corporis capillaria colorem arteriosum venoso, in circulatione per pulmones colorem venosum arterioso mutant, sunt viva receptacula oxygenii et cruoris: si igitur, ut in Chlorosi corpusculorum copia minuitur, minus recipitur oxygenium; quum porro mutatio materiae organicae cum sanguine a normali innervationis statu dependet, elucet, quia sanguis chloroticus normale irritamentum in nervos eorumque nutritionem exercere nequit, etiam immutationem

istam cum sanguine esse diminutam (1). Sic caloris generatio in Chlorosi decrescit, cutis friget, turgor vitalis, rubor evanescit et aucta in sanguine aqua per venas perlucet. Provocatur color chloroticus.

Oedema chloroticum ducitur

a) ab aucta in sanguine aqua (Magendie in animalibus, quibus aqua in venas injecta erat, hydropem vidisse se affirmat).

b) a diminuta cordis vi et resistentia vasorum capillarium; cor debile et inane sanguinem remotis locis per vasa propellere non potest: fit sanguinis accumulatio, venae intumescunt et aqua secernitur in tela cellulosa, circa malleolos etc.

c) ab innervatione minuta, cutis evaporatione et mensibus suppressis.

Albuminium et fibrina sanguinis praecipue sunt nutritionis agentia, quum per vasorum parietes permeent et ab organorum cellulis attrahantur; quae materiae mutatio maxime fit oxygenio, in corpusculis sanguis et sanguine accumulato, quae vim quandam vitae necessariam in omnes corporis partes, praecipue in musculos et nervos exercent (2). Quoniam autem

---

(1) Vide Mueller's Physiologie 4. Aufl. S. 82. 83 et Liebig, die organische Chemie in ihrer Anwendung auf Physiol. u. Patholog.

(2) Der in der Bewegung seiner Elemente schon begriffene Faserstoff des Bluts muss auf die organischen Structuren des ganzen Körpers wie ein Ferment wirken, und sie bestimmen in die gleiche Bewegung einzugehen; den dazu nöthigen Sauerstoff finden sie in dem Blute und in den Blutkörperchen. J. Muell. Phys. B. I. S. 266.

in Chlorosi non solum fibrinae et albuminii qualitas alienata, sed etiam corpuscula sanguinis imminuta sunt, nervi irritamento nutritivo egent, pravus et acidus chylus fabricatur, totum corpus ea, qua corroboretur et affirmetur materia, egens, nutritione depravata, virium defectione afficitur; musculi sunt laxi, aegroti facile defatigantur aeque ac in aliis morbis cum cacochymia sanguinis conjunctis, cujusmodi sunt cyanosis, scorbutus, typhus. In hepate sanguine alienato secretio fellis est impedita, quo fit digestio languescens et motus peristalticus diminutus. Lienem quoque, organon vasis sanguinis vario modo intextum, affici non mirandum: inde malacia, dolores et intumescentia.

Sanguinis et nervorum systemata arctissime sunt juncta, ita ut, si alterum gravius quid patiatur, alterum prorsus incolume et integrum manere non possit: vehementes dolores capitis, vertiginem, susurrum, verisimile est, a sanguinis accumulatione in cerebri sinibus fieri: unde oriuntur cogitationes moestissimae, animi tristitia et aegroti, miserabilem vitae conditionem intelligentes ejusque integritatem laesam arbitrantes, mortem sibi optant; desiderium insuetorum ciborum, ut etiam in graviditate videmus, varia symptomata hysterica e plexu ganglioso abdominali oriri videntur, nervi externis rebus resistere fere non possunt, unde irritabilitas (1).

---

(1) Der organische Blutreiz ist zu gering, und diese Negation wirkt zugleich vom Centrum und von der Peripherie her ungünstig auf die Lebenseigenschaften des Nervensystems zurück. Die Energie des Nervensystems zeigt sich so gering und seine Empfänglichkeit ist so praevalirend, dass das gewöhnliche Blutquantum bei der geringsten Veranlassung als störende Beeinträch-

In Chlorosi menstruationem, quae nititur sanguinis plasticitate et vita, anomalam esse haud mirum: aut amenorrhoea provocatur, aut si menses jam aderant, fluxus menstrualis est aquosus, pituitosus (fluor albus); genitalia redduntur atrophica.

Respiratio brevis, frequens, accelerata, laboriosa, quae quavis contentione, majorem sanguinis arteriosi copiam postulante, crescit, causam habet in minutis oxygenium recipientibus cellulis sanguinis, in sanguine in pulmonibus accumulato, quo saepe fit ventriculi dextri dilatatio; cor anaemicum magna est irritabilitate. (Compares cum his, quod pag. 17. in annotatione 1. dictum est.)

Variae sunt sententiae de origine strepitus illius (1) in arteriis (2), primum a Bouillaud observati et pro signo Chloroseos pathognomonico habiti; sed in omnibus morbis, in quibus sanguis dissolutus est, eundem audire poteris praecipue in typho. Explicatur:

---

tigung percipirt wird; daher die so häufigen orgastischen Congestionen, welche oft von den Uterin- und Abdominalorganen zu den Organen der Brust und zum Gehirne über-, und wieder zurückspringen.

Naumann's Pathog. S. 353. Compara Andral, Essai d'hématologie path. pag. 183.

(1) Recherches sur les divers bruits. Journ. hebd. T. IX. p. 560, 1833.

(2) Hope (Diseases of the hart. Lond. 1839. S. 109) hunc strepitum in venis esse non in arteriis existimavit.

ex arteriarum vibrationibus earumque motu, systolen cordis sequente. (Skoda) (1).

Porro e diminuta arteriarum parietum resistentia et ex debili tardaque sanguinis circulatione, quo fit, ut sanguis in vasorum parietibus fricetur (Cansatt) (2).

Tum ex exigua cordis energia, quae in systole valvularum resistentiam vincere non potest (Budge) (3).

Verisimile est, corpuscula sanguinis, ut firma et viva corpora in sanguine, sicut inter se, ita quoque in fluidum, in quo natant, attractionem quandam exercere — mediam vasorum partem obtinent (Ascherson et Weber) —; si igitur haec corpuscula sunt minuta, minor est quoque illa attractio, quo fit, ut serum dissolutius et magis vagum per vasa fluens in eorum parietibus fricetur et susurrum provocet; debilis cordis energia, vasorum laxitas hunc strepitum augent. Haec opinio confirmatur eo, quod Andral observavit, secundum quem strepitus provocatur modo in certo imminuto corpusculorum sanguinis numero et strepitus vis et intensitas augetur ad eandem proportionem, qua corpusculorum copia minuitur (4).

---

(1) Schmidt's Jahrb. B. 19. S. 173.

(2) Canstatt Pathologie u. Therapie S. 32.

(3) Budge All. Pathol. S. 476.

(4) Lorsque les globules ont assez diminué pour être au dessous du chiffre 80, le bruit de souffle existe dans les artères d'une manière constante. Je n'ai pas trouvé une seule exception à cette loi.

Lorsque les globules sont restés au dessus de ce chiffre 80, le bruit de souffle peut encore se montrer, mais il ne plus constant. — — —

In symptomatibus, quae urina praebet, praesertim respicienda est imminuta ureae et acidi urici quantitas, quae explicanda ex inopia oxygenii in sanguine chlorotico; nam, quum oxygenium materiem animalem in carbogenium, uream et acidum uricum mutet et respiratio proximum connexum habeat cum ureae formatione (Liebig), non est mirandum, quod, corpusculis sanguinis oxygenium in corpore portantibus diminutis, etiam ureae et acidi urici (Carbogenii?) generatio fit minor. Vide analys. pag. 15 et 16.

X. THERAPIA.

In Chlorosi curanda maximi momenti est cura prophylactica; parentum igitur et medici est, omnes caussas nocentes et praedisponentes, de quibus in Aetiologia accuratius est dictum, removere et prohibere (1). Quia sanguinis perturbationes imprimis sunt respiciendae, quum his sublatis, cetera quoque symptomata plerumque cessent, medicamento opus est, quod sanguinem reddere normalem valet. Hoc ferrum est vel ejus praeparata varia cum medicaminibus amaris, aromaticis, nervinis, emmenagogis, antihystericis conjuncta, quippe cruoris copiam in sanguine augent et vesiculas sanguinis roborant (2).

L'intensité, du bruit de souffle est généralement subordonnée au degré d'abaissement du chiffre des globules. Andral, Essai d'hémat. path. p. 58 et 59.

(1) Vide de Therapia, quod existat in libris excellentissimis supra citatis auctorum Joerg, Osiander, Siebold, Naumann (Handbuch d. med. Klinik. Bd. XI.), Carus, Mende, Richter, al.

(2) Das Eisen als Arznei gegeben, wirkt auf die Vermehrung

Ferri usu partes sanguinis solidas revera augescere ex experimentis a Fr. Simon, Andral et Gavaret et Herberger (l. c.) de sanguine virginum chloroticarum, quae aliquamdiu praeparatis martialibus utebantur, institutis elucet.

Sanguis duarum puellarum, cujus compositio data est pag. 10. auctoribus Simon et Herberger, ferro metallico variisque ejus praeparatis consumtis, hanc qualitatem praebuit:

		Simon.	Herberger.
1.	G. S.		
	H.	4,598	4,029
	G.	90,810	94,290
2.	L. S.		
	A.	806,500	807,08
	F.	1,200	1,950
	Al.	81,230	81,509
	P.	2,299	2,470
	M. E. et S.	9,580	8,236
	Part. solid.	193,500	192,92

---

des Farbstoffs nur durch die kontrahirende, erregende Wirkung auf die Blasen, wodurch die Respiration und die Bildung des Farbestoffs aus den kohlenstoffigen Bestandtheilen des Fetts erfolgt, nicht durch die Vermehrung des Eisengehaltes im Blute. Der Farbstoff ist auch ohne Eisen roth, und die Wirkung des Eisens kann durch andere tonische Mittel ersetzt werden. Will man den chlorotischen Prozess heben, so muss der ganze Prozess der Blutbildung, von der Verdauung an in besseren Gang gebracht werden, die Verschleimungen müssen gehoben, stickstoffhaltige Nahrung, so viel ertragen wird, gegeben werden. Schultz, allg. Path. S. 128.

Andral et Gavaret, sanguinem duarum virginum chloroticarum, quarum una per 4, altera per 3 hebdomades ferro usa erat, experimentis explorantes, hanc reperere qualitatem:

	I.		II.	
	ante us. ferri	post.	ant. us. ferr.	post us. ferri
Aq.	866,5	818,5	852,8	831,5
Fibr.	3,0	2,5	3,5	3,3
Sang. corp.	46,6	95,7	49,7	64,3
rerum relict.	83,9	83,3	94,0	100,9

Herberger etiam urinam ejusdem puellae post ferri usum experimento pervestigavit et invenit hanc compositionem, quae est conferenda cum illa in pag. 15. exposita urina chlorotica.

	Primo die	Altero die
Aq.	940,16	938,70
Part. Sol.	59,84	61,30
Ur.	26,84	27,36
Acid. uric.	0,94	0,96
Mat. extr.	18,62	16,28
Sal. fix.	13,32	15,71
Quod amitt.	0,12	0,99

Plura de Chloroseos therapia accuratius sunt disputata in libris Pathologiam et Therapiam morborum tractantibus vide e. g. Canstatt, die spec. Path. und Therapie 2te Auflage Erlangen 1843 pag. 46—50.

Naumann's Handbuch d. med. Klinik XI. p. 217 et seq.

Grimm, die Bleichsucht. Leipzig 1840 p. 58—100.

Roesch, Siebold, al.

VITA.

Natus sum ego, LAMBERTUS ROMEN, Embricae, urbe ad Rhenum sita, die XXXI. mens. Maj. anni MDCCCXIX, patre JOHANNE LAMBERTO, bibliopola, quem ante quindecim annos dira morte mihi abreptum lugeo, semperque lugebo, matre ANNA MARIA e gente RADEMAKER, quam salvam adhuc pio gratoque animo veneror. Fidem catholicam confiteor.

Primis litterarum elementis imbutus Gymnasium Embricense, quod tum Regis auctoritate augustissimi constitutum est, per octo annos frequentavi, a quo cum testimonio maturitatis dimissus anno MDCCCXL almam Universitatem Fridericam Guilelmam, quae Bonnae floret, petii et a Rectore magnifico Ill. E. M. ARNDT in numerum civium academicorum receptus sum, Decano Ill. HARLESS in album ordinis medicorum me inscribente. Hae sunt, quas per semestre ibi frequentavi scholas: De logice et encyclopaedia et psychologia audivi disserentem Ill. de CALKER; de historia philosophiae inde a primis initiis usque ad Kantii aevum Ill. BRANDIS; de Taciti Germania Ill. E. M. ARNDT; de anthropologia Ill. NASSE; de physice experimentali Ill. PLUECKER; de chemia experimentali et organica Ill. G. BISCHOF; de botanice Ill. TREVIRANUS; de zoologia et historia naturali mammalium Ill. GOLDFUSS; de mineralogia Ill. NOEGGERATH; de anatomia generali et speciali Ill. MAYER et Ill. Weber; qui in cadaveribus secandis mihi duces fuere; de encyclopaedia et methodologia medica, pathologia et therapia generali, pathologia et therapia speciali, de morbis psychicis Ill. NAUMANN; de chirurgia, de fasciis rite applicandis, de anatomia chirurgica Ill. WUTZER; de physiologia Ill. NASSE; de physiologia et pathologia generali Cel. BUDGE. Tum Herbipolin petii, ubi Rector magnificus Ill. TEXTOR facultati medicae me adscripsit.

Adii ibi scholas medicas Ill. de MARCUS; chirurgicas Ill. TEXTOR; obstetricias Ill. D'OUTREPONT; qui idem in exercitationibus in phantomate instituendis moderator mihi fuit. Praeterea ibi disserentes audivi:

Anatomiam generalem et specialem et pathologicam Ill. MUENZ (demonstrationibus pathologicis Cel. MOHR interfui); de doctrina artis obstetriciae et instrumentorum obstetriciorum Ill. D'OUTREPONT; de materia medica et arte formulas rite concinnandi, de morbis infantum Ill. RINECKER; in arte auscultationis et percussionis moderatores mihi erant: Dr. DRESSLER et Dr. de WELZ; cujus clinicum de morbis syphiliticis frequentavi.

Per annum ibi commoratus ad universitatem Berolinensem me contuli et a Rectore magnifico Ill. LACHMANN in album civium academicorum relatus, apud decanum maxime spectabilem Ill. BUSCH nomen sum professus.

Quas hic frequentavi scholas, hae sunt: Ill. HECKER de medicinae historia; de medicina forensi Ill. WAGNER. Praeterea scholas adii clinicas medicas Ill. BUSCH, JUENGKEN, SCHOENLEIN, TRUESTEDT.

Quibus viris omnibus, optime de me meritis, maximas ago gratias semperque habebo, nec minus viros doctissimos, qui praeceptores mihi fuere in Gymnasio Embricensi et benignitate amoreque singulari me amplexi sunt, gratias quam maximas habeo, semperque habebo.

Jam vero tentaminibus, et philosophico et medico nec non examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Febris non est morbus.
2. Superfoetatio non est.
3. Syphilidem topicam in stadio eruptionis remediis topicis sanare licet.
4. Est vis lunae in systema gangliosum.
5. Sanguis menstrualis non habet vim nociferam.
